

*Dilectio Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Christus enim, cum adhuc essemus infirmi, juxta temporis rationem, pro impijs mortuus est. Roman. 5. vers. 6.*

Quapropter Causa impellens Deum, ut mitteret Redemptorem hominibus, ex parte Dei, nulla alia fuit, quam *Φιλανθρωπία*, quā motus quasi cogitavit de medio reconciliandorum hominum, & modum de suo subministravit. *Bernhard. Serm. 5. in Natal. colum. 60. rectè inquit: Non Pater judiciorum vel ultionum, sed Pater misericordiarum dicitur DEUS, non modo quod Pater videatur misereri magis, quàm indignari, & quemadmodum Pater filiorum, sic miseretur timentium se, sed eo magis, quod miserendi causam & originem sumat ex proprio, judicandi verò vel ulciscendi magis ex nostro, Item: Quod miseretur proprium est illi, ex se enim sumit materiam & velut seminarium quoddam miserendi. Celebremus ergò Dei Φιλανθρωπία ex cap. 8. ad Rom: v. 32. Si Deus pro nobis, quis contra nos, qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis tradidit eum, quomodo non cum eodem omnia nobis donet?*

Misericordia  
Dei.

Hinc passim in verbo Dei celebratur misericordia Dei *Psal. 145. v. 8. 9. 10. Gratosus & misericors Dominus, longanimis & multum misericors. Bonus est Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & Sancti tui benedicant tibi. Deut. 4. v. 31. Deus misericors est Dominus Deus tuus.*

*Exod. 34. v. 6. Dominator Domine Deus, misericors & clemens, Longanimis, & multus misericordia & veritate. Quod passim inculcatur *Neb. 9. 17. Psal. 103. v. 8. Joel. 2. 13. Jon. 4. & c. similiter dicitur. Psal. 116. vers. 5. Misericors Dominus & justus, & Deus noster miseretur, Psal. 78. v. 38. Ipse est misericors & propitius fiet peccatis eorum, & non disperdet eos. Et abundavit, ut averteret iram suam. Psal. 86. v. 15. Misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori.**

Benignitas  
יְסֻן

Porro de prædicatur Benignitas & Beneficentia Dei, qua plus benefacit alicui, quàm tenetur, ut confitendum omnino sit nobis cum Jacobo: minor sum Domine cunctis יְסֻן benignitatibus & omni veritate, quam secisti cum servo tuo. *Genes. 32. 10. Domino est benignitas Psal. 62. 13. Sic ait Dominus, non avertam faciem meam à vobis, quia יְסֻן benignus ego sum, dicit Dominus, & non irascar in perpetuum.*

Cele-